

**Animadversiones ad nonnulla Hippocratis loca ex Epidemiorum libris
decerpta spectantes / [Antonio Lizzari].**

Contributors

Lizzari, Antonio, -1800.

Publication/Creation

Venice : A. Zatta, 1763.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/az9nra82>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



33843/B

19568

A x 0.88

63631

ANTONII LIZZARI
D. M.

ANIMADVERSIONES

AD NONNULLA

HIPPOCRATIS
LOCA

EX EPIDEMIORUM LIBRIS DECERPTA

SPECTANTES.



VENETIIS MDCLXIII

TYPIS ANTONII ZATTA.

SUPERIORUM PERMISSU.



ERUDITISSIMO, CELEBERRIMO, CANDIDISSIMOQUE

V I R O

D.D. SANCTI DE STEPHANIS
PHIL.; ET MED. DOCT.

ANATOM. OLIM IN PATRIA UNIVERSIT. PROFES.

Nec non Almi DD. Phylos. & Medic. Col. plur. Presid.

ANTONIUS LIZZARI D.M.

Perennem Felicitatem Præcatur.



X quo Artis mysteriis ini-
tiatus, levi illa præceptorum tin-
etura, quam rudes adhuc, &
ephebi attingere solemus imbutus,

A 2 nec

nec non maximo illo receptarum
apparatu, quem rituales codices
practicantium haud temere appellari
im instructus, e Magistrorum
suavissimo sinu in meas partes se-
cessi, atque Medicinam factitans
aegrorum lectulis assidere incepi,
statim agnovi

.... Quantum est in rebus inane
tempus condendis hypothesis terere,
aut affectata grandiloquentia, verbo-
rumque lenocinio (sermo enim dulcis,
asserente Ecclesiaste, ut cancer ser-
pit) aegros pellicere, quibus capi,
& deliniri solent ab iis, qui om-
nia quæstu, fastuque metiuntur.
Hac ratione factum est, ut fuca-
tus quidam apparatus, & adulter-
rina medendi methodus, quorun-
dam, qui veræ medicinæ (Hippo-
craticæ nempe) gustum non habent,
obcæ-

obcæcarint animos, & bis temporebus medicorum plerique bujus præstantissimæ partis ignoratione statutus, ratosque naturæ, ac humorum motus accurate minus obseruent, aut intempestivo medicamentorum usu vel impediant, vel intercipiant. Sic persæpe constantissimam artem per quam

Nunc Sacri Vates, nunc Divum
cura vocamur,
Sunt etiam qui nos Numen
habere putant,

fortuna regere, non vero prudenter videtur. Dolendum sane artem illam, quæ sanitatem ægris una promittit, quæque ab omnibus retro seculis nulli philosophorum sectæ parens, libertatem quam in incunabulis vagiens fortita est, incorruptam servavit, hodie in servi-

tutem, ne dicam in captivitatem
ductam, nonnullorum libidini dum-
taxat famulari; atque dum ea
illius pars, quæ pharmaca, &
specifica respicit ad satietatem us-
que, nauseamque adolevit, altera
nobilissima æque ac utilissima, per
quam tum in dignoscendis morbis sa-
nando, cum in prænuntiandis eventi-
bus vitando calumnias, Diis pene
pares efficimur, deserta, incultaque
jaceat. Eo processit ignaviæ in
quibusdam cæteroquin illa in con-
texendis morborum historiis, e-
ruendis causis, notandisque motibus
naturæ sedulitas, ut Hippocratis
obscuritatem reprobendant, qui ob
propriam imbecillitatem non pos-
sunt magnitudinem Hippocraticæ
virtutis assequi; eos nescire dele-
bet, quid antequam nati sint, ac-
ciderint: & quem ex ingenio suo
poterant babere conatum, velut
ad-

adstricti certis legum vinculis per-
diderunt, ac magistrum respicien-
tes, Hippocratem, hoc est, Na-
turam Ducem sequi desierunt.
Hinc factum est, ut cum novissi-
mis hisce diebus totus essem in
evolvendis Epidemiorum libris,
& quædam in illis aut nimis ari-
de, aut jejunè nimis, nonnulla etiam
præpostere ab Expositoribus exara-
ta offendissem, ideo non injucun-
dam, aut inanem prorsus operam
prestiturum me rebar, si animad-
versiones ad nonnulla Hippocra-
tis loca ex iis decerpta spectan-
tes, prout inter legendum mibi oc-
currerent, publicis juris facerem.
Inconciinnæ quidem fateor, barbari-
sque forsan, Celsoque minus no-
tis respersæ vocabulis prodeunt.
Ut ut tamen de his sit, tibi, tuo-
que nomini nuncupatas volui. Ti-
bi inquam Virorum optime, Medi-

corum doctissime, qui veterum auctorum studio teneris, qui non inani verborum tumultu, sed artis operibus: qui demum non pseudeloquentia, sed rebus inter tot celeberrimos Artis Apollineæ Proceres hujus inclytæ Urbis ornamenta,

..... Quos æquus amavit
Juppiter, atque ardens evexit
ad æthera virtus

jure, meritoque emines, & emicas. Non ideo hanc opellam dicare tibi decrevi, quod levidense isto munusculo rem te, tuisque meritis dignam tibi sistere putem, sed ut palam tester quanti te faciam, perpetumque sit, licet exiguum, meæ erga te observantiae monumentum.
Vale.

Dabam e Musæolo meo ipsis Kalendis Septembribus an. 1763.
EPI.



EPIDEMIORUM

Lib. I. sect. 3. tex. 55.



Hiliscum, qui prope murum decumbebat, primo die fibris acuta invasit. Sudavit in noctem laboriose. Secundo omnia exacerbata sunt.

Vesperi vero post clysterem bene habuit, noctem quiete transegit. Tertio usque ad meridiem videhatur factus sine febre. Deinceps vero febris acuta cum sudore. Sicutulosus arescebat lingua. Minxit nigrum. Nox laboriosa. Non dormivit. Omnino deliravit. Quarto omnia exacerbata sunt Urinam nigram reddebat. Noctem minus molestam. Urinæ melioris coloris. Quinto circa meridiem parum de naribus stillavit sincerum. Urinæ autem varie, babentes pen-


pendentia quædam, rotunda, similia sēmini, sparsa. Non sudavit. Supposito balano exigua exierunt, & flatuosa. Nō etem laboriose transegit. Somni exigui, verba, delirium. Omnia extrema frigida, non amplius recelescentia. Minxit autem nigra, dormivit parum. Extrema livida, ad meridiem obiit sexti diei. Huic autem spiritus ad finem usque, velut recordanti, rarus, & magnus. Splen intumuit tumore rotundo. Sudores frigidi usque ad finem. Paroxismi diebus paribus.

¶¶

Infrequens est, Hippocratem in historiis mentionem facere de loco illius vel Urbis, vel Castri, vel Pagi, ubi degeret æger. Non memoriæ ergo solum huic historiæ inservit verba illa, *qui prope murum decumbebat*; sed ut aliquid amplius innueret, quod malignitatem morbi indicaret. Philiſcus igitur hic habitabat prope murum. Circa Urbis mænia quisquilius, scobesque Incolæ deferre, ut plurimum solent. Immo juxta Urbis muros


ros latrinæ ; & fumeta frequentia
 sunt, ex quibus sœva Mephitis aera
 perpetuo inquinans, exhalat. In quod
 malum ne inciderent homines , di-
 vino edicto in lib. *Deuteron.* cap. 23.
 sequentibus morebantur : *Habebis lo-*
cum extra Castra, ad quem egredieris ad
requisita naturæ, & habebis paxillum cum
armis suis; cumque federis per circuitum,
egesta operies, quo relevatus es. Proinde
 ab incolatu prope murum ideo *Phili-*
scus læsus est , quod aerem putidis
 exhalationibus infectu mcontinuo hau-
 sisset . Sudores , hæmorrhagiæ , urinæ ,
 excretiones modo intempestivæ ,
 modo pusillæ , lethales , non vero fa-
 lutares extiterunt , juxta illud Epid.
 lib. 2. sec. 2. text. 9. quæ judicant , non
 statim appareant ; judicatoria non judicantia ,
 partim lethalia sunt , partim difficilis judicatio-
 nis. Dolosa semper est discrisia , Morbus
 qui in malam crisim desiit die pari ,
 de genere malignissimorum extiterat :
 benignioris namque indolis sunt , qui
 moventur per impares . Per hæc ver-
 ba huic autem spiritus ad finem usque
 velut recordanti rarus , & magnus , ostendit

dit *Hippocrates* toto decursu maximam inesse morbo ad delirium propensionem. A respiratione quoque hauriuntur signa delirii. Respiratio enim oblii, quasi extra se positi, rara est; recordantis autem, nempe intra, præ exultatione restituti, magna. Quinimo hic deliravit toto morbo. Si quando enim videbantur sapere, tamen tunc quoque erat, velut attonitus, sui oblitus. Quod quidem etiam genus quoddam delirii est.



Epid. lib. 2. sec. 2. tex. 2.

Mutationes colorum in alvi excretionibus prosunt, nisi ad malum mutentur, velut a pharmacis vomentibus febrium causa. Dejectionum fines in meraciora putrefactionem significant, ut Dexippo.



Ut legitimus hujusce doctrinæ sensus pateat, legi meretur aphor.

21. sect. 4. qui sic se habet: *Dejectio-*
nnes nigrae, velut sanguis niger sponte ve-
nientes, & cum febre, & sine febre pes-
simae sunt, & quanto plures pejores colo-
res, tanto deterius. Cum medicamento ve-
ro melius, & quanto plures fuerint colo-
res, non malum. Mutationes ergo co-
lorum, nisi ad malum mutentur, pro-
sunt in dejectionibus sponte venien-
tibus, mutationes colorum etiam ad
malum, juvant in dejectionibus pro-
motis a pharmaco. In illis multitudo
colorum exitium, in his salutem por-
tendunt. Cæterum ubi dejectiones
post longum, aut proruptum alvi
profluvium meracæ apparent, juxta
illud aphor. 7. sect. 7 meracæ alvi
egestiones male; ulcerosam putrefactio-
nen in intestinis minantur. Exem-
plo sint, que Dexippo obvenere.

¶¶¶

Epid. lib. 2. sect. 2. tex. 10.

Dolores vebementissimos quomodo cogno-
verit quis conspicatus? Terror, bonaæ tole-
rantiæ; oblationes, & ignaviaæ.

Ne

¶¶¶

Ne signa desint externa quoque indicantia vehementiam dolores facientem duo ab *Hippocrate* proponuntur, quæ rarissime fallant, quæque in memorato textu recensita sunt. Primum quidem in sensu terroris consistit, quem dolor vehemens, & diu perseveram incutit. Alterum in nausea ciborum, quam æger gravi dolore cruciatus, patitur. Quotiescumque igitur hæc duo signa in ægro dolente invenientur, statim dolorem illum vehementissimum agnoscemus. Super hac re legendus erit *Galenus* de iis, qui morbum simulant deprehendendis.

¶¶¶

Epid. lib. 2. sect. 2. tex. 17.

Lactans quadam papulas per totum corpus habebat; cum autem cessavit lactare, sedatae sunt aestate.

Epid.


Epid. lib. 4. tex. 14.

*Thersandri uxor leucopblematica non
valde existens; lactans acute febricitavit.
Huic lingua exusta est; aliis etiam ustio-
nem subeuntibus. Sub hoc tempus lingua
etiam exasperabatur, ut grandine multa,
& lumbrici per os. Circa vigesimum vero
non perfecte judicata est.*

§§§ §§§


*Valesius putat & papulas lactantis
secundi epidemiorum libri, & febrem
acutam alterius mulieris libri quarti
ortum duxisse a mensium defectu,
quo nutrices, ut plurimum laborare
solent. At rem sedulo perpendenti
cum Martiano patebit, ambas mulie-
res laborasse morbis nutricum dum-
taxat peculiaribus, nimirum a depra-
vata concoctione ciborum, & putri-
da colluvie circa intestina, & mesen-
terium congesta. Errata ergo in vi-
ctu, quibus sibi male persuadeant mu-
lieres lactis copiam augeri, noctes
in-*

insomnes, succique nutritii exhaustus tantorum malorum sunt causæ. Ubi igitur inciderimus in similes affectus, neque sanguini perpurgando, neque mensibus restituendis nimium incumbamus, sed alvo exonerandæ; dietæque servandæ.



Epid. lib. 2. sect. 2. tex. 22.

Diuturnis lœvitatis intestinorum acidus ructus superveniens; qui prius non extiterit, signum utile, velut Damænetæ accidit. Fortasse autem est, & arte facere. Etenim turbationes hujusmodi alterant. Fortasse autem, & acidi ructus lœvitatem intestinorum solvunt.



Omnis lienteria dupli differentia constat, aut enim a stomachi, intestinorumque exulceratione, aut ab eorundem paralytica laxitate procedit. Hanc absoluta indolentia, illam dol-

dolores assidue comitantur. Cibi in
hoc morbo pene ac assumpti sunt,
ocymime, parumque, aut nil mutati
egeruntur. In utraque, sed præser-
tim in altera ructus acidus superve-
niem utilitatem affert. Ideo dupli-
nomine utilis est, ut ructus quod
indicet peristalticum intestinorum mo-
tum restitui, ut acidus concoctionem.
Rursus bonus ut causa, bonus ut
signum. Addit *Hippocrates* superve-
nienti, qui prius non extiteris, ut signi-
ficaret commodum tarde accedentis
acidi ructus, redeuntis concoctionis
indictum. Neque aliter scripsit *diutur-
nis lienteriis*, nisi ut ostenderet, ideo
ructum acidum in recentibus non
prodesse, quod redundantis aut pitui-
tæ, aut crudorum ingestorum molem
patefaciat. Neque contentus scribere
signum bonum, dicit etiam *utile*; usus
Damenetæ exemplo, cui acidus hic ru-
ctus summopere profuit. Nam signum
bonum est, quod bene significat, uti-
le quod prodest. Summatim ructus
acidus, appetente lienteria, signum
malum, indicat enim acidam crudita-


B tem

tem vigere: ructus acidus superfvēniens longæ lienteriæ, quique prius non extiterit, signum bonum, testatur namque concoctionem languescentem incipere instaurari.

Non defunt tamen qui putent, hæsitanter sententiam hanc (quæ est pene ipsissima occurrens in aphor. 2. sect. 6.) *Hippocratem* tradidisse, neque posterorum animos satis erexit, inter quos eminent *Martianus*, hujusque garrulus exscriptor *Cockburnus*. Toti sunt in examinanda illa voce *fortasse*, & in conjungendis historiæ *Damænetæ* prioribus verbis sequentis historiæ, quæ incipit; *Hellebori* potionem curabatur *Lycia*. Dubium si quod foret in voce *fortassis* fausto *Damænetæ* eventu firma-
ta adimit ipsa geminata *fortassis* in calce textus reposita, quam sequuntur postrema verba, & acidi ructus lœvitatem intestinorum solvunt. Neque majoris ponderis est conjunctio alterius textus cum antecedenti nullatenus conciliandi. Nam præterquam quod in viro *Damænetæ* nullius phar-
maci mentionem fecisset *Hippocrates*, cri-


criticum naturæ conamen dumtaxat
 contemplatus, exinde in curatione
 morbi mulieris *Lyciae* helleborum me-
 morat, tanquam remedium perperam,
 & cum gravi noxa propinatum. Ne-
 que est, cur miretur *Martianus*, obiis-
 se mulierem, quam nuper curatam
Hippocrates dixerat, cum *curari* non
 parum a *sanari* distet. Perradicula de-
 dum est enumeratio quorundam edu-
 liorum ex vers. 185. sect. 2. lib. de
 affectionibus excerptorum eo fine, ut
 revocentur ad praxim, quotiescum-
 que ructum acidum liceat arte pro-
 vocare. Nam ii cæteroquin maximi
 viri non animadverterunt, *pingua*,
 & *caseosa*, & *mellita*, & ex *sesamo* pa-
 rata *edulia ructum acidum* (observante
Hippocrate) *maxime quidem facere*; ast
 bilis fluxum superne, & inferne promove-
 re, tormenque, & flatum, & repletionem.
 Neve dubium supersit ullum, memo-
 rata *edulia* ab *Hippocrate* vituperari,
 non vero laudari, neque unquam
 idcirco esse adprobanda, sat erit se-
 quentia in memorato nuperrime textu
 contenta legisse, nimirum *hoc ipsum*

*etiam contingere, quum quis plus ederit,
aut biberit, quam venter concoquere
possit.*



Epid. lib. 2. sect. 4. tex. 4.

*Curandum iram inferre, & revocandi
coloris causa, & effusionis succorum, &
lætitiam, & timorem, & hujusmodi; at-
que si aliud corpus simul ægrotet, simul
curare, si autem non, hoc.*



*Scite non minus, quam vere Me-
dicorum Princeps, & Antesignanus
Hippocrates novit, nullum esse tam
præclarum naturæ beneficium, quod
mali aliquam mixturam non habeat
(dum testante *Lucretio de rer. nat.*
lib. 4. semper*

..... *Medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis flo-
ribus angat,*)

nul-

nullumque adeo malum; ex quo non aliquod boni quandoque eveniat. Affectus animi ferme omnes morbus aliquis humani corporis sequitur, plurimi affectus morbis aliunde ortis medentur. Hinc Polyhistor ille *Hippocrates* cum in nonnullorum curatione morborum vidisset medicamenta nedum opitulari, sed stomachum lædere, malique succi esse, ad provocandos ipsos animi affectus curam omnem suam transtulit. Ecquis inter nos hodie tam caute audax foret, qui ciendo affectus vel de desperatissimis morbis triumphum ferret? Trium præcipuorum inter cæteros humani animi affectuum in præsenti textu *Hippocrates* meminit, iræ nimirum, lætitiae, terroris, de quorum singulis, prout nonnullis morbis medeantur, pauca subjungam.

Iram excandescens spiritus torpidos excitare; tenacem, & mucosam phlegmatis visciditatem tollere; sanguinem in perversos motus citatum, febrili fermento excusso, ad meliorrem frugem reducere; uno verbo

B 3 ira-

irascientis animi medicam vim non ignoravit artis medicæ gravissimus conditor *Hippocrates*, ut proinde non dubitaret, hanc passionem efferam in remediorum censum reponere. Iccirco scriptum reliquit, iram esse provocandam, quotiescumque *revocandi coloris*, aut *promovendæ effusionis succorum* opus esset. Hinc legimus apud *Horstium* de præfecto quodam militari, qui cum diuturno brachii dolore laborasset, ob enormem refractarii militis petulantiam ita irritatum fuisse, ut sui doloris oblitus, summis conatibus in illum irrueret, verberibusque eum egregie exciperet, ab eoque tempore nihil quicquam illius doloris amplius sensisset. *Pechlinus* narrat de *Tubicine*, qui cum per aliquot hebdomas medicamentorum usum frustra tentasset, ut a diris articulorum doloribus liber evaderet, tandem jam non iratus, sed furenti similis, dum in injurium sibi hominem irruit, tam subito, atque violento casu convaluit. De paralysi ira discussa mentio fit in epistola a *Fabri-*

britium Hildano ad Gregorium Horstium
data, ubi occurit historia Ludovici de
la Riviere paralytici, & a tribus an-
nis lecto effixi, qui cum strepitum
armorum, dum expugnaretur Urbs
Niort in Gallis, circa secundam noctis.
horam perciperet, ut cum civibus suis
pro patriæ salute pugnaret, e grabato
prosiluit, cum reliquis se in hostem
projecit, ex eoque tempore incolu-
mis vixit. Contracturam nuncupatam
feliciter sanatam Franciscus Valeriola
refert. Ego, inquit, mirum quid vidi
in Consobrino meo Johanne Sobiratio, qui
cum Avenione convulsus annos plurimos
constitisset, itaut contractis poplitibus,
ingredi non valeret, repentina ira, eaque
vehementi percitus in famulum, quem
plagis cädere nitebatur, ita corpus exagi-
tavit, ut confessim dissentis crurum ner-
vis, poplitibusque emollitis, & sine ullo
doloris sensu incedere, & erectus stare,
cum incurvo corpore annos totos plus mi-
nus sex constitisset, posset. Hæc, atque
alia plurima ejusmodi, cum mi-
ra, & stupenda videri non satis pe-
ritis possint, fiunt dumtaxat per mo-

tum excitatiorem, quo subsistens diutius in artibus, aut articulis humor, vel crassus, & pituitosus, vel tenuior quidem, & acerbus, sed impactus, excutiatut, eorumque languescientium inertia impetu novo compulsa, excitetur.

Non exiguum partem in morbis tollendis (licet interdum malorum fæcundissima sit, immo per sepe lethalis) *Lætitia* sibi vendicat, & animi ex ea tranquillitas, ac voluptas. A contagione tuetur; febriles paroxismos arcet; dolores modo intercipit, modo tollit; convulsionibus opitulatur; aphoniam, paralysin, podagramque momento discutit. Neque minus prodest effusus, qui ex ea frequenter oritur *Risus*. Qui cum affectio spasmodica Diaphragmatis sit, fieri non potest quin agitato pulmone, si quæ inibi materia congesta subsistat, deturbetur, atque eiiciatur. Nonnullæ prostant historiæ a viris fide dignis conscriptæ de apostematibus in thorace diu latitantibus, & risu effusissimo ruptis, unde ejecto ex pectore tabo non-

nonnulli pro desperati habiti, vires
primum, deinde pristinam sanitatem
recuperarent.

Terror, & qui eum sequitur *Metus*,
animi affectus ut non longe inter se
dissiti, sic & ordine affines, & ple-
rumque conjuncti, non minus miri-
fica edunt, quam quæ ira perfecit.
Ut enim hæc spiritus mirum in mo-
dum extollit, agitat, atque evocat
ad pugnam, sic illi percellunt, tol-
lunt, & revocant ad suum princi-
pium, & quietem. Hinc ambo hi
affectus hæmorrhagias sistunt; fluen-
tem sanguinem reprimunt; alvum
non satis laxam solvunt; paralysin
depellunt, non modo adventitiam, sed
a nativitate contractam. Id enim est,
quod *Cræsi* Filio *Herodotus* accidisse
testatur, cum *Persa* quidam *Cræsum*
sibi ignotum occisurus, in eum irrueret,
id filium ejus mutum aspexisse,
protinusque erupisse in ea verba *Ho-*
mo ne Regem perimas! atque hoc eum
primum effatum, postmodum per
omne vitæ tempus vocalem extitisse.
Singultum gravissimum terror dissipar-

re potest, cuius rei extat historia in
Veleriol. lib. 2. obser. 4. Singultam,
 ait ille, gravissimum, atque contuma-
 cem, qui nullis remediis cedebat, terrore
 subitaneo incusso, curasse me in strenuo
 divi Jobannis Hyerosoymitani milite, qui
 Divi Vincentii Toparcha fuit, memini, &
 fide sancta afferere possum. Quam saepe,
 pergit Pechlinus, etiam arbitridem terror
 metu permistus sanavit? Scio conflagrante
 forse ad ignem proprius admotum vase,
 in quo spiritus articularis continebatur,
 flammaque interulam corripiente, subito
 terrore consternatum aegrum, qui ab ali-
 quot septimanis pedum usum amiserat,
 censiluisse, & fortuito hoc remedio sanatum,
 ab hoc morbo immunem egisse. Lini car-
 minatorem paralysi scorbutica a sex
 annis lectulo affixum, dum vicini
 domus arderet, subito terrore per-
 culsum, atque momento sanatum vi-
 dimus nos ipsi in vico *Divi Pantaleo-*
nis. Inflammationes etiam terror fu-
 gat. Vir quinquagenarius, scripsit Rol-
 fincius, inflammatione oris circa gingivam
 dextram superiorem laborans, liberabatur
 videns prope lectum in terram subinde

con-

concidere syncope correptum. Evanescebant in illo tumultu dolor, calor, & tumor, & qui erat æger lecto affixus, sanus mox, mensa assidens, opiparis epulis, & Neccarino uæ sanguine se reficiebat. Sed & febres intermittentes terror subito sanat. Et quod mirum materias in solidis partibus, longa annorum serie induratas, laxatis vinculis solvit. Herniam intestinalem, delapsis intestinis in scrotum, terror restituit; ossa ita luxata, ut a nativa sede aberrent, reponit; sopitos spiritus excitat; hystericas semianimes vitæ reducit. Non erit tamen prorsus inutile cautelas adscribere, quas *Pecblinus* commendat. Nimirum primo improvisa illa magis utilia futura, quam sollicite excogitata, pluſque ſæpenumero valere fortunæ casum, quam providum consilium. Secundo non tam in initio, quam fine morbi, & absumpta jam parte humoris dolorifici ejusmodi profuisse remedia, maximaque hic opus esse prudentia Medici.

፩፪፭፻ ዘ፪፭፻

Epid. lib. 2. sect. 4. tex. 5.


Stymargi famula Idamæa erat, cum peperisset filiam, os uteri contortum est, & in coxam, ac crus dolor. Liberata est juxta talum secta vena, etiamsi tremores secundum corpus eam tenerent; Sed ad occasionem venire oportet, & occasionis initium.

፩፪፭፻ ዘ፪፭፻

Famula *Stymargi* a fæminino partu, qui masculino laboriosior esse, solet, in hystericum spasmum incidit, quem inseuti sunt dolor in coxis, ac cruribus, tremoresque convulsivi per artus undiquaque diffusi. Hanc a morbo liberavit *Hippocrates*, secta in talo vena, nulla habita ratione convulsivi tremoris universi corporis. Quoniam os uteri contortum, idest præ contractione convulsum, obortique dolores lochia suppresserant, ideo a copia


pia obruente; non autem inopia exhaustiente ortum ducebant tremores ii, qui affectionem frigidam mentiebantur. Merito ergo *Hippocrates*, qui scriptum reliquerat lib. 6. Epid. sect. 8. tex. 44. bonis etiam Medicis similitudines errores parere, & dubitationes, dum sepe contraria faciunt causam morbi, sanguinis missionem præcepit, quia in hujusmodi casibus non tam ad symptoma respiciendum est, quam ad occasionem, & occasionis initium. Neque video cur *Ramazzinus* dissent. i. de rural. Epid. Mutin. an. 1690. paragr. 41. asseruerit, usque ad animi deliquum sanguinem in memorato afferet *Hippocratem* detraxisse, dum in textu occurrunt dumtaxat ea verba: *liberata est juxta talum secta vena*. Discite hinc Tyrones quam caute expositoribus adhibenda sit fides. Etenim ut inhumanum foret in simili casu venam non aperire, sic crudele, & inexperienciarum plenum, sanguinem ad animarum defectionem usque detrahere.

Epid.



Epid. lib. 2. sect. 5. tex. 8.

*Si puerperis spasmus fiat, ignem fac,
& in vesicam ceratum infundito multum,
tepidum, & lavato.*



Quemcumque spasmum haud sanat, febris sed illum tantum, qui oritur a repletione. Ignis ergo, nempe febris, quæ prius non extitit, vel si adfuit, grandior facta, sanare potest convulsionem a repletione productam, hoc est in præposito textu a lochiorum suppressione pendentem. An febris hæc arte provocari possit, dixerat alibi Hippocrates hisce verbis: talia enim per nullam Medicorum ignorantiam, aut scientiam sunt, sed sua sponte. Inventi tamen sunt homines tam audaces, atque inexperti, qui curam aggredi ausi sint vesicantibus, medicamentisque calidis, acribusque!

Epid.

❧❧

Epid. lib. 2. sect. 5. tex. 14.

*Quicumque de repente obmutescunt, si
sine febre fuerint, bis venam secato.*

❧❧

In dissertatione epistolari Clariss.
Ramazzini circa usum, & abusum
Chinæ chinæ sequentia occurrunt. Au-
reus extat locus apud Hippocratem de fe-
bre, quæ in Apoplexia præsertim accendi-
tur, qualem locum observat Ballonius
Medicus experientissimus, nam si apople-
xia sit sine febre, venam secandam sua-
det, si vero cum febre præsertim acuta,
& venæfactione omnino cœvendum est; ipsi
enim naturæ arma præripimus, quibus
hostem suum potuisset confodere. Egregie
Hippocrates usus est in hoc textu voce
obmutescentiæ, qua significare videtur
symptoma vere apoplecticum. Quod
excludere volens, ubi de affectione
melancholica loqueretur, scripsit in
aphor.

aphor. 40. sect. 7. si lingua de repente incontinens fiat (tartagliante), aut pars corporis aliqua stupeat, hoc melancholicum esse scito. Quotiescumque igitur lingua incontinens, non vero obmutescens evadat, neque mens læsa multum videatur, etiam si æger febre careat, non statim ad venæ sectionem est configiendum. Melancholicus etenim est morbus. Hoc præsertim verum esse elapso anno deprehendimus, dum curam haberemus Nobilissimæ Matronæ Elisabethæ Morelli, natæ Justinianæ, cui incontinentia linguæ, stuporque brachii sinistri derepente oborti, tanquam malancholici morbi intrepretati sumus, neque in usum vocata sanguinis missione sanavimus. Neque in quolibet apoplexiæ genere, licet febris absit, sanguinis missio protinus est celebranda. Apoplexia pituitosa, ingluviosa, ab inanitione, spasmodico convulsiva sanguinis missionem haud facile admittunt. Memoriæ succurrit hujus apoplexiæ spasmodico-convulsivæ, quam in Patre Reginaldo Panighetti ordinis Pre-

Prædicatorum antiquæ observantiæ prudenti narcoticorum usu , abjectisque stimulantibus a nonnullis sublimissimi subsellii Professoribus perperam , & sine ratione adhibitis , prospero , secundo que eventu , licet secundum supra octogesimum annum ageret , ad sanitatem perduximus .

¶ ¶


Epid. lib. 3. sect. 1. tex. 1.

Pytbion qui habitabat juxta Telluris Templum. Cæpit tremor a manibus, prima die febris acuta, delirium. Secunda omnia exacerbata sunt. Tertia eadem. Quarta a ventre pauca, mera, biliosa fluxerunt. Quinta omnia exacerbata sunt, somni tenues, & alvus, restitit. Sexta sputa varia, subrubra. Septima os distrahitum est. Octava omnia exacerbata sunt; tremores perseverabant, urinæ autem in initiosis, & usque ad octavam decolores, tenues, suspensiones habentes nebulosas. Decima sudavit, sputa subcocta, judicatus est; & urinæ subtenues circa judiciam.

C

Post

Post judicium autem quadraginta diebus postea suppuratio circa sedem, & stranguliosus factus est abscessus. Probabile multitudine Urinarum Salutem Homini Contigisse.



Exemplum memorabile Pleuritidis per abscessum judicatæ. Similem casum observavimus in Nobilissimo Viro Johanne Artico Purliliarum Comite, Eminentissimi Cardinalis Fratre, cui obortus in axilla sinistra tumor (existente in opposito latere pleuritidis sede) quinquagesima ab ingressu morbi die integre pleuritidem judicavit. Dubium a nonnullis movetur, an *Hippocrates*, licet reticuerit, tamen in memorato casu missionem sanguinis celebrarit. *Galenus* in ea est sententia, quod sanguinis detractione in curatione *Pythionis* usus sit *Hippocrates*, huncque tuetur sequentibus: *Si in veris suis operibus, magnis infestantibus morbis, semper sanguinis missione utitur, simul cum ea duo bac respiciens, etatem pari-*

pariter; & ægri vires; & bis ipsis in
libris de vulgaribus morbis octavo die
cuidam ait missum esse sanguinem, nihil
aliud excogitare possumus, quam quod in
ipsis ægris quidem non præteritum fuerit
hoc remedium, in narratione vero ut cla-
rum præteritum fuerit.

¶¶¶

Epid. lib. 3. sect. I. tex. 3.

*Qui decumbebat in Dealcis horto capi-
tis gravitatem, & tempus dextrum dolo-
rosum habebat multo tempore; cum occa-
sione vero febris corripuit, decubuit; &c.*

¶¶¶

Subirascitur Galenus Sabino, quod
putaret adjectum fuisse Hippocratis
textui verbum illud *horto*, tanquam
hortus ansam morbo dedisset, olera,
fructusque affatim suggerendo; quibus
sine continentia homo hic vesceretur.
Cloacarum, subdit Galenus, poterat
meminisse, ut quæ latrinas fere in

C 2 hor-

hortos repurgant ; omnemque ejus generis fatorem . Olerum item , & arborum halitum fructicumque , ut brassicæ , careæ , & buxi ; nam manifesto vicinus aer ab horum consuetudine inficitur . Noxa propterea inter illas , quibus exercentur Agricola , recensenda .

ἌΓΓΕΛΟΙ ΑΓΓΕΛΟΙ

Epid. lib. 3. sect. 3. tex. 20.

Abderis Anaxionem , qui decumbebat ad portas Thracias , febris acuta corripuit , lateris dextri dolor continuus , habuit turfum aridam , neque quicquam expuit primis diebus . Siticulosus ; insomnis . Urinæ boni coloris , multæ , tenues . Sexto deliravit , post fomenta autem calida nihil remittebatur . Septimo cum labore , febris enim intendebatur , & dolores non sunt minuti , & tusses infestabant , & difficult erat respiratione . Octavo cubitum secui , fluebat multum , ut debebat , remissi sunt dolores , tusses quidem aridae comitabantur . Undecimo febres remitterunt . Parum circa


caput sudavit. Tuisse adhuc, & quæ a pulmone prodibant, liquidiora erat. Decimaseptima incæpit pauca concocta expuere, levatus est, sitibundus autem erat. Et eorum quæ a pulmone exibant purgationes non utiles. Vigesimo sudavit, a febre liberatus est. Post judicationem autem sublevatus. Vigesimo septimo febris rediit, extus sit, excreavit multa cocta. Urinis subsidentia multa alba. Desit sitire. Dormivit. Trigesimoquarto sudavit per totum; liberatus est a febre, judicatus est omnino.

¶¶¶

Judicio summo opus est, an in curatione pleuritidon imitandus Hippocrates sit, quippe qui (ut in hac supra cæteras egregia, & sublimissima historia patet) *Anaxioni* itidem pleuritico sanguinem octavo die solum detraxit. Hæc propositio in genere sumpta, non minus erronea, quam perniciosa est. Etenim non ad quamcumque pleuritidem referri debet, sed dumtaxat ad eam, qua laboravit *Anaxion*. Rem Galeni exactissima expo-

sitio declarat. In hoc uno agrorum, ait
 ille, primo, & tertio libro descriptorum de
 sanguinis missione Hippocrates mentionem
 fecit, non ut solo, cui sanguinem missi-
 set, sed ut octavo die solo. Nam tum
 etiam Medici, quasi lege certa, ultra
 quartum diem venam non secebant. Ego
 vero ignorantibus etiam horum Ægrorum,
 libro primo de judiciis prescripsi usum,
 ubi quomodo inconcoctum exquisite morbum
 cognoscas; quomodo cum, qui jam pri-
 mum maturescit; quo pacto qui progredi-
 tur in concoctione; quemadmodum qui jam
 perfectæ concoctioni proximus est, dilucide
 studui ostendere. Ideoque Anaxion hic,
 dum semper tussiret, nihilque plane expue-
 ret, siccirco inconcoctissima conficitabatur
 pleuritide. Dum vero die undecima expue-
 re capisset, morbum significavit concoqui,
 deinde pedetentim tempore progrediente,
 ita scripsit Hippocrates, in vigesimo se-
 ptimo die multa exscreavit concocta,
 in urina multa subsidebant alba.
 Quam ob causam trigesimo quarto est pror-
 sus judicatus. Quotiescumque igitur
 incidamus in pleuritidem ab inconco-
 ctissimo humore, qui solus lymphati-
 cus

cus esse potest pendentem , tunc etiam octavo die , qui ratione difficilis concoctionis considerari velut secundus , tertiusve potest , sanguinis missio erit celebranda . Secus autem ubi humor celerius in concoctionem properat . Et hæc est potissima ratio , cur *Hippocrates* sanguinem *Anaxioni* misisset , non experimentum de morbo capturus , quia mors ipsi instaret , ut perperam *Trillerus* , ejusque *Affectiones* somniati sunt .



Epid. lib. 4. tex. 29.

Qui in sutrina decumbebat , sanguinem fudit valde biliosum , dejectio pauca , judicatus est septimo cum rigore .

Ibid. tex. 37.


Sutor judicatus est septima die , unam diem intermitens , rursus apprehendit , statim quarta judicatus est .

Epid. lib. 5. tex. 44.

Sutor soleas veteramentarias suens, pugnit seipsum supra genu in femur, & ferme digitum immergit. Huic quidem nullus sanguis effluxit. Ulcus vero cito clausum est. Femur autem totum in tumorem elevabatur, & tumor intendebatur usque ad inguen, & inanem partem. Hic ter-tia die moriens est.

Epid. lib. 7. tex. 54.

Cleotimo sutori humectata alvo multum tempus, & calida facta secundum bepar, tumor tuberculosus ad hypogastrium descendit, & alvus humectabatur, & aliud ipsi tuberculum superius ad hypochondrium. Mortuus est.



Sutores non solum quia artifices sedentarii sunt, verum etiam quia inter male orentia coria degunt, variique generis instrumenta acie, & mucrone nocen.

centia tractant; nonnullis gravibus
morbis tum physicæ, cum chirurgicæ
arti subditis obnoxii sunt. Quæ hodie
vilissima, & miserrima ars est, *Mar-*
tialis ævo quæstuosissima erat, ut con-
stat ex epigram. 75. lib. 9. ubi con-
queritur de Sutore quodam eo for-
tunarum evecto, ut ludum, hoc est
gladiatorium spectaculum *Pop. Rom.*
exhibuerit.


Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusque
solum.

Prænестina tenes defuncti rura patroni
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis, & ardenti madidus cristalla
Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me literulas stulti docuere parentes:
Quid cum grammaticis, rhetoribusque
mibi?

Frange leves calamos, & scinde Thalia
libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.


Cachectici ergo ut plurimum sunt,
deco-

decolores, scabiosi, & melancholici. Vasa crudiori sanguine turgent, serum in universum abundat. Alvum laxiorem habent, fæcesque pallido colore tinguntur. Iccirco qui in sutrina decumbebat, fudit sanguinem valde tenuem, bacque via judicatus est septimo cum rigore, coacta natura referare venas, ut noxium humorum expelleret, neque potente illum subigere, aut in meliorem frugem reducere. Similiter Judicatus, & alter est, licet ejus morbus febris tertianæ naturam referret. Cleotimus obiit, congesto, ac tumores in hepate, in hypochondrio, & in hypogastrio faciente melancholico humore. Demum sutor soleas veteramentarias suens mortuus est, dum pupigit acu seipsum supra genu in femur. Experientia enim probatum est, vulnera in cachecticis fere semper esse Lethalia.



Epid. lib. 4. tex. 57.

Zoili Fabri tremuli pulsus , & imbecilles . Mictio , & alvus mediocriter . Decolor . Ventris imi intentio utrinque in rectum usque ad umbilicum , cum acuta . Cibum non capiens , siticulosus .



In curatione morborum non solum chronicorum , sed etiam acutorum , semper ob oculos habenda est ars ea , in qua æger se exerceat . Inter morbos , quibus obnoxii sunt Fabri Ferrarii recersentur anhelitus , ventris constipatio , & lippitudo . Hinc Demosthenis Patrem , quem Fabrum Machropæum fuisse referunt , eundem lipsum describit Juvenalis Sat. 10.


Quem Pater ardantis Massæ , fuligine
lippus ,

Carbone , & forcipibus , gladiosque parante

In

Incude, & luteo, Vulcano, ad Rethora misit.

Pulbus igitur Zoili tremuli ; & imbecilles , ut & imi ventris intentio , symptomata erant in artem potius , quam morbum reiicienda . Neque aliter *Martialis Epigr. lib. 13. Bætas fabrorum prandia* appellavit , nisi ut significaret necessitatem quotidianam fabrorum emolliendi viscera . Licet acuta , qua conflictabatur , febris , inappetentiam , sitimque per se inferre posset , necesse tamen habuit *Hippocrates* in textu addere , *cibum non capiens , fiticulosus* , ut per illa verba exsiccationem non minus viscerum , quam liquidorum ostenderet .



Epid. lib. 4. tex. 60.

Qui asinum ex pacto elevavit , febricitavit statim tertia die ; sanguinem fudit quarta , & quinta , & septima , & octava ; Judicatus est ; alvus humida .

Hic

ꝝꝝꝝ

Hic virium suarum Jactator, sive bajulus fuerit, quemadmodum innuerre videtur *Clarissimus Ramazzinus*, nec ne, ut ex *Hippocratis silentio*, & adverso effectu coniicere licet, tamen extra omnem dubitationis aleam possum est, in febrem incidisse acutam, dum, ex pacto asinum elevasset. Laxatis a nimio pondere vasis, rarefactaque a vehementi spiritus contentione, gravique labore sanguine, spuria plethora subinde orta est. Merito ergo morbus hæmorrhagia profusa solutus est. Neque alvus humidior inde facta fuit, quod multum sanguinis, ut *Ramazzinus* putat, profudisset, sed quia in renutritione nimio cibo uteretur. Etenim juxta aphor. 27. sect. 4. *Quibus in febribus sanguinis multitudo fluxerit, quamcumque ex parte, in renutritione bis venter bumectatur.* Cautæ ergo renutriendi sunt revalescentes a morbo hæmorrhagia profusa sanato. Videant hinc quam errent, qui in

in similibus casibus, jura consumata
expressa, gelatinas non cessant ægris
propinare.

¶¶¶¶


Epid. lib. 4. tex. 61.

*Vir metallicus, hypochondrium dextrum
intentum. Lien magnus, & alvus inten-
ta, subdura, spirituosus, decolor. Huic in
sinistrum genu recidiva; omnino Judica-
tus est.*

¶¶¶¶

Totus est Valesius in commentatio-
ne hujus historiæ ut ostendat, virum
hunc laborasse difficultate respiratio-
nis, quoniam duritiem habuerit in
utroque hypochondrio, atque decolo-
rem extitisse, præ obstructione hepatis
splenemque obsidente. Totus pariter
est, neque injuria, ut ostendat, diri
hydropis vim effugisse, tum febre,
tum abscessu materiam absumentibus.
Omissit autem maximi momenti no-
tam,

tam, nimirum artem, quam excolebat. Etenim cum vir metallicus esset, ac proinde si non metallorum fons, metallurgus certe, ideo morbo labrabat artis illius peculiari, nempe cachexia alvina, cum utriusque hypochondrii obstructione. Verum quidem est, virum hunc recidivam paſsum esse propterea quod abscessus præ exiguitate impar esset ad Judicandum perfecte morbum, & quam proximus affecto lieni extitisset.




Epid. lib. 4. tex. 89.

Fullo collum, caput, septima manus stupida, nona crus stupidum, tussis cesavit.

Epid. lib. 5. tex. 55.


Fulloni inguina tumescabant, dura, & sine dolore, & circa pubem, & in cervice similia magna. Febris quidem primum lenita tertio mense, quarto venter distentus est.

*est. Febres superveniebant. Lingua sicca;
sitis, dejectiones per inferna difficiles.
Mortuus est.*



Epid. lib. 7. tex- 78.

*Fullo qui in Syro phreniticus, cum
ustione autem tremulus. Crurum color, qua-
si esset morsus a culicibus, oculus magnus,
exiguus motus, vox clangosa, manifesta
autem. Urina pura subsidentiam non ba-
bens. Numquid ob dejectionem a thapsia
decima octava dimisit emollitus morbus,
sine sudore?*



Ex hisce tribus historiis docemur
de morbis, quibus *Fullones* tentan-
tur; quibusque potissimum viis ad ju-
dicationem perveniant. *Fulla* primæ
historiæ, quantum conjectare licet,
laborabat vehementissima tussi, quæ
soluta est abscessu facto per nervos,
superveniente stupore manus, & cru-
ris

ris imperfectæ paralyseos indicia. Alterius historiæ *fullo* hydropicus mortuus est, fatum extremum præcedente insigni, biliosaque cachexia. Postremæ historiæ *fullo* sanus evasit, intercedente, artis ministerio hyperca-tharsi, crudo adhuc existente morbo. Secus evenire haud poterat in artificibus, qui inter graves odores fæti-dissimæ urinæ, rancidique olei in calido conclavi perpetuo degentes, ac interdum seminudi, cuncti ferme cachectici sunt, decolores, anhelosi tussiculosi, & nauseabundi. Præterea cutis spiracula ex unguine illo facil-
lime obstructa in causa esse possunt, cur color crurum esset quasi morsus a culicibus.

¶¶

Epid. lib. 4. tex. 130.

Sputa peripneumonicis quibusdam bilio-sa, cum desinere volunt. Valde flava bre-via sunt. Quæ qualia in principiis erant, talia apparent, non valde puto bæc co-


D qui,

qui , sed judicare , ut illi , qui juxta preceptorem , & alias quoque vidi .

¶¶


De morbis acutis , qui judicantur cum cruditate , ac de iis , qui sine crisi , vel saltem exigua sanantur , tractatum integrum , & quantum spero absolutum , typis propediem evulgabimus , opus novum , atque saltem mea methodo haetenus a nemine tentatum . Sed ad rem . Licet in peri-pneumoniis , ubi morbus ad finem properat , sputa biliosum colorem exuant , & albescant , in nonnullis tamen a consueto tramite natura declinans , eundem ac in morbi initio sputorum colorem retinet . Hæc sunt illa sputa , quæ nunquam concoquuntur , sed in cruditatis statu permanent , neque ideo noxia sunt , quoniam morbum judicant . Propterea apposuit in textu *Hippocrates* , illa verba , *non coquuntur , sed judicant* . Judicium tamen , quod ab hujusmodi sputis manat , celerius est eo , quod in
con-

concoctione sputorum situm est. Hoc non semel observavit *Hippocrates* in ægro, qui habitabat juxta domum illius præceptoris, sed & deinceps in aliis. Quod autem scripserit, valde flava brevia esse, hoc nedum de salutaribus sputis, sed & de exitialibus intellexit. Nam ubi sputa sunt valde colorata, cito sanantur ægri, vel pereunt.



Epid. lib. 4. tex. 131.

Nicippus in febribus semen effudit somnians, & non venit in deterius, & hoc illi sape fiebat, & nihil laesus est. Prædictum illi est fore ut cessaret, cum febres judicarentur, & factum est ita.



Tantum absuit, ut *Nicippo* huic seminis effusio noceret, quin etiam prodesset potius. Observanda illa repetitio non venit in deterius, nihil laesus

D 2 est.

est. Fortasse succulentior habitus evacuationem hanc deposcebat: Legitur namque Epid. 6. tex. 22. *Venus in morbis a pituita utilis.* Verum cum effusio sponte facta non sufficeret seminis effusione, merito natura febrem suscitavit, quæ exundantem materiam celerius absumeret. Ideo juræ prædictum est, seminis effusionem cessat uram, ubi febris desierit.

¶¶¶

Epid. lib. 5. tex. 1.

In Helida Olitoris uxor. Febris corripuit ipsam, & pharmaca bibens nibil iuvabatur. In ventre autem erat durum, & sublime quiddam. Hoc digitis cum oleo fortiter compressum, & tractatum est. Et superfuit sana, & vivebat.

¶¶¶

Methodus curandæ obstructionis viscerum abdominalium per frictionem. Quam audacter a circumforaneis

neis hodie velut recens ; aut arcana
jactatur !

¶¶¶ ¶¶¶

Epid. lib. 5. tex. 3.

Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus , mortuus est septima delirus . Pharmacum autem bibit deorsum purgans , die vero priori mentis erat compos , & purgatus est non multum , purgatus autem deliravit .

¶¶¶ ¶¶¶

Ea hac historia colligimus , legitimam , sanguineamque pleuritidem , nunquam alvi fluore sive sponte , sive artis ministerio interveniente , in salutem exire . Læduntur enim mille modis a ventris purgatione pleuritici . Aut febris , inflammatiove a medicamentis augmentur ; aut virtus debilitatur ; aut morbus nihil minuitur , quoniam non evacuatur quod oportet , nec unde oportet , aut quoniam eva-

D 3 cuen-

cuentur plurima, quæ in corpore restitare debuerant, retineantur vero, quorum secretio utilis extitisset.

¶¶¶ ¶¶¶

Epid. lib. 5. tex. 9.

Athenis homo pruritu tenebatur toto corpore, præcipue autem testibus, & fronte. Tenebatur, autem admodum vehementer, & cutis crassa erat secundum totum corpus, & velut lepram babens aspectu. Et nulla ex parte petuisset apprehendere cutem præ crassitudine. Hunc nemo juvare potuit. Transgressus autem ad Melum, ubi sunt calidæ balneæ, pruritus quidem sedatus est, & cutis crassitudo. Factus autem bydropicus, est mortuus.

¶¶¶ ¶¶¶

In curatione morborum cutaneorum semper ob oculos habenda est consideratio, an ii; sint vere morbi, an abscessus. Hippocrates lib. 2. pror. signa docet, quibus ad invicem dignoscantur:

tur: *Impetigines*, & *lepre*, & *vitiligines*
albæ quibus quidem horum aliquid factum
& paulatim multo tempore augescit, his
non oportet eam papularum eruptionem
abscessum putare, sed morbum; ubi vero
horum aliquid factum est multum, & de-
repente, hoc sane fuerit *abscessus*. Præter-
quamquod etiam a statu corporis,
temperamento, morbisque prægressis
signa petenda sunt. Hic ergo mortuus
est culpa Medici nescientis agnoscere
morbum ab *abscessu*, quo vir athe-
niensis cachecticus conflictabatur. Sa-
ne nisi curatus fuisset, a morte eva-
sisset.

¶¶¶

Epid. lib. 5. tex. 6.

*In Oeniadis vir morbo tenebatur, cum
sine cibo esset, fortiter sugebat in ipsius
ventre, & dolebat. Et cum comedisset,
& cibi contriti essent, & tempus superve-
niret post esum cibi, non valde postea hoc
ipsum patiebatur, & tabescerat corpus, &
consumebatur, & non accedebat ei alimen-*


D 4 tum

rum a cibis cum comedisset , & subducebat
batur cibus pravus , & combustus . Cum
vero recens cibatus esset , hoc ipso tempo-
re minime sugebat , neque dolor tenebat
ipsum . Hic pharmaca bibens omnigena nibil
juvabatur . Secta tandem per vices utrius-
que manus vena , usque dum exanguis red-
deretur , deinde juvatus est & a morbo li-
beratus .

§§§ §§§

Audacter sane (ait *Valesius*) tentata
copiosa sanguinis missio in tabescente ,
neque alimentum ex cibis , ut ut eu-
chymis , capiente homine , quæ secun-
dum eventum tandem sortita est . Huic
forsan in tabem incidit , nimium re-
pletis a sanguine venis , & ideo ali-
menti distributionem in carnosas par-
tes prohibentibus . Certe huic quan-
tumvis tabido venæ adeo turgidæ vi-
deri debuissent , ut præ nimia disten-
sione frangi viderentur . Etiam san-
guis , teste *Charletono* in æconomia ani-
mali nutritur , dum alimoniam par-
tibus affert . Quemadmodum obæsitas
ni-

nimia vetat, quin carnes reficiantur, ita sanguinis redundantia obest quominus, & crux ipse, carnesque nutriantur. Recte ergo huic missus est sanguis usque ad animæ defectionem, ut sic depletis vasis liberior novo alimento pateret via, qua carnibus, sanguinique nutrimentum, & tutius, & promptius accederet.



Epid. lib. 5. tex. 14.

In Larissa Hippostenes peripneumonia videbatur medicis deprehensus esse, non erat autem. Princípio quidem luctans in duro loco cecidit supinus, & insiluit in ipsum, & lavatus est frigida, & dormivit, & gravari videbatur. Sequenti autem die febricitavit, & tussis tenebat eum siccior, & spiritus densus. Quinta die cruentum excreavit non multum, & cœpit delirare; cum tussiebat, tunc dolebant pectoris partes, & dorsum. Sexta autem die sanguis efluxit ex naribus, cum sternu-tasset, circiter cotylas quatuor. Ad vesperam

ram neque loquebatur, neque sentiebat, quæ quispiam faceret, aut diceret. Unde cima autem mortuus est. Quinque autem dies, nunc sapiebat, nunc non, & siebat sine febre. Sputum autem nullum exscreavit, neque stertorem habuit. Non enim erat sputum.

¶¶¶

Recte (scripsit *Valesius*) hæc historia nos admonet, ne casus, vel ictus graves contemnamus, sed sedulo perpendamus num aliquid sit agendum in pharmaceutica ad curationem, in diætetica ad præservationem. Cuncta symptomata in hoc morbo observata, a contusione, tanquam vero fonte manarunt. Perperam ergo Medici assidentes ea peripneumoniæ imputarunt, ut proinde mirum non fuerit, si male remedia cesserint, dum quæ peripneumoniæ mederi poterant, contusioni essent adversa. Quod experiento nos nuper didicimus in Reverendo Carolo Celoti Forojuliensi Presbitero, cui ex ictu gravi in thorace,

dum

dum forte humi prolaberetur, accepto, ubi a pragmatico *Medico* remedia vulgo peripneumonica nuncupata adhiberentur, neque a reperita sanguinis missione se temperaret, in exitium præcipitavit, vitamque cum morte commutavit.

¶¶¶

Epid. lib. 5. tex. 17.

In Larissa Theophorbi filius vesicam scabiosam habebat, & viscosam urinam mingebat, & dolebat, cum & inciperet mingere, & cum desineret, & confricabat partem anteriorem. Hic cum bibisset diureticum vehemens, in vesicam quidem nibil processit. Vomuit autem confertim puri simile, & bilem. Et interne alia bujusmodi egerebat, & dolebat ventrem, & urebatur interius. Reliquum vero corpus frigidum fiebat. Et dissolvebatur totus, & accipere nihil volebat. Huic exulcerata est alvus fortiter a magna phar-maci vehementia. Mortuus est autem ter-tia die post potionem.

Tutis-

¶¶¶

Tutissimum vesicæ scabiosæ signum petendum est a necessitate ægrotantis comprimendi pubem, ut inde lotium facilius exeat. Alterum in quibusdam veluti canunculis, furfuris ramenta æmulantibus, inque urina innatantibus. Hoc verum, & indubium esse in N. V. *Aloysio Pisano* abunde deprehendimus. Observavimus itidem verum esse in eodem N. V. quantum detrimenti afferant purgantia, aut diuretica a quibus imprudenter propinatis, aut audacter repetitis, in ulcus vesicæ incidit, neque sine multo labore meo, suoque periculo emersit. Notandum tamen est, scabiem vesicæ modo esse humidam, modo sicciam. Quæ ægrum meum divexavit sicca fuit, quæ *Hippocraticum* humida. Indicium erat in hoc viscosa urina, in illo furfuracea, mucoque carens.

Epid.

ꝝꝝꝝ

Epid. lib. 5. tex. 20.

Eudemus in Larissa hæmorrhoidas ba-
bens fortes valde, & diuturnas, cum
exanguis existeret, bilis commota est, sed
cum corpore mitus egit, & alvus inferior
turbata est, excrevit biliosa, & hæmorrhoi-
des intumescebant. Pharmacum deorsum ma-
gis dejectorum bibens, purgatus est bene, &
mox superbibit succum, & magis perturbatus
est, & dolor circa hypochondria consistebat.
Huic manus admota est hæmorrhoidibus, cum
ad huc alvum non bene haberet, sed indi-
geret curatione, & vomuit. Deinde autem
accidente cancro febris corripuit, & non
dimisit, donec occideret. Quandoque etiam
cum rigor subrepens, dimisisset, febris ve-
nit, & prodiit ipsi bilis, & fatus, &
partim prodibat, partim intus erat. Et
dolor in ventre. Hæmorrhoides vero erant
extra intestinum rectum, quæ alio tempore
a purgationibus inceperant. Et fatus per
ipsas prodibat, & per sternutamentum
prodibat in principio.

Hic

Hic *Lariſſaeus* mortus est ab hæmorrhoidibus male curatis, quia intempestive, neque præmisis universalibus, per chirurgiam excisis, aut ustis. Oh quoties vulnera in cancrum, præsertim in cachecticis corporibus transeunt, nisi prius perpurgetur corpus, humoresque alterentur! Certe huic hæmorrhoides excissæ sunt potius, quam ustæ, quia usta minus quam excissa cancro tentantur. Fluentes erat, non cæcæ, alioquin non poterat exanguis redi. *Valesius* putat, hunc ideo mortuum esse, quia præ inopia cruori laudabilis, bilis, afferente *Avicenna*, turgeret, & iccirco purgatione opus fuisse. Ego vero, si reapse ab hemorrhoidum carcinomatæ æger interiit, putarem cancrum inde ortum fuisse, quod sublato bono, & puriori sanguine, in ulcus reliquum acerrimus ichor irruisset, qualis in cacochymicis, melancholisque corporibus redundare solet, juxta illud

lud in epid. 6. in melancholicis, & per vigilibus sanguis est, velut ichorosa sanies.

Non abs re erit hic veluti per transennam notare, perperam a non-nullis interpretari aphor. 12. sect. 6. qui sic se habet: *diurnas sananti hemorrhoidas, nisi una adservetur, periculum est aquam inter cutem, aut tabem advenire.* Lubet iccirco *Ætii* paraphrasin addere, qua mediante scopuli in hujusce morbi curatione vitari possint. Igitur in ejusdem Tetrabibl. 4. sermon. 2. cap. 5. sequentia leguntur: *Hæc affectio plurimorum malorum causa hominibus extitit. Nam & deformitatem, & miseram vitam haemorrhoides inducunt. Multos vero etiam vita privant. Et deformitatem quidem propter totius corporis debilitationem, & vitiacionem ex evacuatione succedentem; miseram vero vitam propter corporis languorem.* Quandoque autem & de vita periclitantur sic affecti quum ob excedentem evacuationem perfrigeratum bepar; aquam inter cutem operatur. Convenit igitur recta diaeta, ac venæ sectione præmissa haemorrhoidum

dum extirpationem moliri, & nullam penitus relimquere, quemadmodum quibusdam visum fuit. Possibile est enim incolumes evadere, optimumque curationis finem assequi post hæmorrhoidum extirpationem eos, qui opportuno tempore venæsectione, & convenienti diæta semper utantur, quemadmodum Hippocrati placet. Inquit enim, a diuturnis sananti hæmorrhoidibus si una non adservetur, periculum est aquam inter cutem, vel tabem advenire. Non enim, veluti quidam opinantur, dixit, si non una servata fuerit hæmorrhoidis ad sanguinis excretionem (nullam etenim proportionem una servata ad plurimas sanatas babet), sed dixit si una, hoc est simul non adservetur, idest si non convenienti diæta utatur. Quod autem sic velit Hippocrates, ipsa aphorismi distinctione ostendit. Ait enim hæmorrhoidas inveteratas sananti. Est autem sanatio perfecta liberatio, & legitima curatio. Quare non oportet aliquam relinquere, verum omnes simul rescindere.

❀❀❀ ❀❀❀

Epid. lib. 5. tex. 27.

Autonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus est decimasexta die, aestate media, lapide percussus ex manu secundum commissuras in medio sincipite. Hoc me latuit sectione opus babere, deceperunt autem me futuræ, babentes in seipsis jaculi læsionem, postea enim perspicuum fiebat. Primum quidem in claviculam, postea autem in latus dolor fortis valde, & convulsio in ambas manus venit. In media enim capitis, & sincipitis parte habebat ulcus. Sectus autem est undecima, & pus prodiit non multum. Meninx autem impurida apparebat.

❀❀❀ ❀❀❀

Optime Hippocrates animadvertisit qua parte, & quo telo percussus homo fuerit. Docuit namque idem lib. de vulner. cap., quod ubi percusso capite, os fractum esse suspicio sit,

E ex-

extemplo secunda sit cutis, dilatandumque ulcus, & nudandum os, ut quomodo id habeat, liquido constet. Hac diligentia præterita evenit quod in historia legitur. Licet *Hippocrates* vituperandus esset, quod causa mortis hujus ægri extitisset, laudandus tamen, quod palam errorem suum testatus sit, ac proinde a *Celso*, & jure quidem his verbis lib. 8. cap. 4. tueretur: *A suturis se deceptum esse Hippocrates memoria prodidit, more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium.* Nam levia ingenia, quia nihil babent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipientur eadem ratione, qua quis ante deceptus sit. Sed hac quidem alioquin memoria magni professoris, uti interponeremus, effecit..... Potest autem sutura eo nomine fellere, quia aque aspera est, ut aliquis hanc esse etiam si rima est, existimet, eo loco, quo lubesse hanc, verisimile est. Ergo eo nomine

ne decipi non oportet, sed os aparire tutissimum est. Nam neque utique certa sedes, ut supra posui, suturarum est & potest idem, & naturaliter commissum, & ictu fissum esse, juxtave aliquod fissum habere. Quin aliqui etiam, ubi ictus fuerit vebementior quamvis specillo nihil inventur, tamen aperire commodius est.

¶¶¶

Epid. lib. 5. tex. 68.

Bianti pugili cum natura esset vorax, evenit incidere in passiones biliosas ex carnium esu, maxime vero porcinarum, cruentarum, & ebrietate vini odorati, & placentis, & dulciariis ex melle, & cucumeri, pepone, & lacte, & polenta recensi. In aestate autem biliosa, & febres intermittentes.

¶¶¶

Expositio Valesii super hunc textum est admodum manca. Versatur enim dumtaxat in inquirendo quonam re-


E 2 ple-

pletionis affectus sit æger, & quo morbo laboravit. Oportet itaque animadvertere cum Clariss. *Ramazzino Biantis* morbum ex eorum cenu extitisse, qui *Athletarum* proprii sunt. *Athletæ* etiam erat *Pugiles*, ex eo nuncupati. quod nudi decertarent, pugnisque strictis, vel nudis, aut ænea, aut lapidea sphæra plenis, vel loris, laminave circumseptis sese invicem percuterent modo caput, modo dorsum, modo brachia. Exercitii genus, certe si quod aliud, vetustissimum, ut colligere licet ex illo *Lucretii* ver-
su de rer. nat. lib. 3.

*Arma antiqua manus, ungues, dentesque
fuerunt.*


Pugilatores ergo isti, quorum principes, & auctores fuerunt *Amycus*, & *Epeus*, pinguedini comparandæ operam dabant, quod agebant, ut gravius percutere valerent, & plagas ipsis illatas minus sentirent. Est enim experientia, & ratione comprobatum, obæsos minus excarnibus in-
ju-

jurias sentire. Cum ergo pugiles, non secus ac athletæ, robori, & corporis crassitie studerent, siccirco *Bian-*
tes usus est iis eduliis, quæ huic scopo satisfacerent. Verum sine modo. Ex quo factum est, ut in caco-
chiliam biliosam incideret. Exeuntibus vere sursum, deorsumque rancidis biliosis succis, cholera morbus;
aliis in venas æstate delatis, febres intermittentes ortæ sunt.



Epid. lib. 5. tex. 74.

*Trinon Damonis filius, circa tibiae mal-
le olum ulcus, juxta nervum purum habe-
bat. Ab credente medicamento illi impos-
sito contigit, episthotono correptum mori.*



Tanti est imprudens medicamen-
torum corrodentium, aliorumque vul-
go digerentium nuncupatorum ulceri-
bus adhibitio, ut sæpiissime gravia
accersant symptomata, si parti, cui

E 3 ap-

applicantur, quam proximi nervi siti
sint, vel ramus eorum insignis. Huic
Trinoni simile quiddam accidit. Non
contentus chirurgus usu lenium di-
gerentium, cum ad acriora, immo
corrodentia transiret, proximum ulce-
ri nervum pupugit, unde convulsio
in posteriora suborta, agrum mise-
re e vivis sustulit. Ingens crimen:
immo scuticæ dignum horribili fla-
gello! Aqua Egelida efficacissimum
digerens, nobile mundificans sæpi-
sime inefficacibus, atque infensissimis
postponitur. Vidi ego multoties ul-
cera benigniora in deterius ruisse ab
incauto medicaminum digerentium
usu, cavaque ab illis relicta in ma-
jus spatium excrevisse, dum balsami-
ca dicta plena manu adhiberentur.
Ulcus mitioribus prius detersum, sat
erit a redundante humiditate siccis
filis, aut absorbentibus tueri, cætera
vero naturæ studio committere, ne-
que inopportuna medicina turbare:

*Sic curando quedam fieri pejora vi-
demus*

Ulcera, quæ melius non terigisse fuit.
Epid.

❀ ❀

Epid. lib. 5. tex. 92.

*Eupbranoris filio exanthemata velut
morsus culicum, exiguum autem tempus,
postridie febricitavit.*

Epid. lib. 7. tex. 94.

*Timonactis puero exanthemata in curi-
bus, in coxis, & lumbis, & hypogastrio.
Et tumores valde rubicundi. Sedatis autem
bis convulsiones, & epileptica fiebant sine
febribus, multis diebus, & mortuns est.*

❀ ❀

*Luculentissima exempla ex binis
hisce historiis percipimus adversi even-
tus, succendentis inopinato, ac præ-
ter rationem evanescentibus exanthe-
matis. Quoniam *Eupbranonis* Filio
exanthemata exiguum tempus in cor-
poris ambitu permanerunt, ideo fe-
bricitavit. Neque poterat non tubo-*

E 4 riri

riri febris, retropulsa materia, alimentum sugerente exanthematis legitimis, & essentialibus. Iccirco, subdit *Valesius*, consultum fuisset, febrem sanguinis missione antevertere. Aut enim fuisset ab ea præservatus, vel minus graviter ægrotasset. Prohibet vero Medicos vulgi levitas hujusmodi facere, & metus calumniæ. Quotus enim quisque, ubi ita esset factum, non imputasset febrem missione sanguinis potius, quam morboſo apparatui. *Timonætis* autem puerο, cui exanthemata faciens materia in nervos delata est, non autem in venas, convulsiones inde obortæ sunt. Et vehementes quidem, quoniam epileptico modo illum corripuerunt. Fortasse si febris superveniret, neque convulsionibus tentatus esset, nec mortuus. Hoc sæpiſſime verum esse in variolis deprehendi, in quibus epileptici insultus, qui in vermium culpam detorquerentur, appetentibus variolis evanescendo, veram morbi causam palam testati sunt.

Epid.

Epid. lib. 6. sec. 2. tex. 23.

Lata exanthemata non valde pruriginosa, qualia Simon habebat bieme, qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, juvabatur. Vomitus non conferebant. Existimo si quis calefaceret, juvaret.

Affectio cutanea hujus *Simonis* vere morbus erat, non autem abscessus. Merito ergo inunctus, & lotus est, quia morbus cutaneus topicis aggredi debebat. Quoniam vomitus non conferebant, evidens erat male plecti interna viscera medicamentis, quibus non indigebant. Hinc patet, quam futiles sint purgationes, ptyisanæ, cæteræque hujus farinæ præparationes, quæ a vulgaribus medicis, quotiescumque in morbum cutaneum inciderint, revocantur in usum.

Epid.

Epid. lib. 6. sec. 3. tex. 14.

*Figuræ sublevantes maxime. Ut qui sarmen-
ta plectebat, & contorquebat, præ do-
loribus procumbens, arripiens paxillum, &
summo infixo adhæsit, & sublevatus est.*

Diligentissimus observator *Hippocra-*
tes nihil prætermisit, unde canones
practici haurire, ac in posteros tra-
ducere posset. Animadvertisens versu-
tiam ruricolæ, qui dum meteret, cor-
reptus torminibus, in compressione
paxilli remedium invenit; nos admo-
nuit hac observatione de arte sopien-
di per compressionem dolores. Prudenter
Valesius suspicatus est, dolores hujus villici
fuisse intestinales, & flatulentos, contra
opinionem *Galenii* opinantis fuisse manus.
In colica flatulenta sæpiissime expertus
sum tanquam presentaneum remedium,
fascia comprimere Abdomen.

Epid.

¶¶¶

Epid. lib. 6. sec. 8. tex. 4.

*Renum morbos, & vesicæ non vidi cu-
ratos ultra quinquagesimum annum.*

¶¶¶

De prædictione in hoc textu con-
tentâ aliter mihi praxim exercenti
animadvertere occursum est. N. V.
*Aloysius Pisanus, & Reverendus Caro-
lus Bornigonus utrique septuagenario ma-
iores, ambo vesicæ ulcera dira perpessi,
iisdem pene remediis sanati sunt. Cum
enim acutus vesicæ morbus, præce-
denti chronicò insitus utrumque obse-
derit, præmissis venæfectione, anti-
phlogisticis, temperantibus, & refri-
gerantibus externe, & interne adhi-
bitis, sero insuper lactis depurato, &
lacte asinino (in quo saponis veneti
scriptulum dissolvebatur) ad mensem
epotis, uterque convaluit. Nobilissima
Matrona Maria nata Vendramena Comi-
tissa*

tissa Zenobia, cuius morbi historiam typis jampridem tradidimus, ex insigni ulcere post abscessum in rene sinistro nato, licet gravis annis, nobis tamen curam morbi gerentibus, perfecte convalescit, neque e vivis, nisi exacto decennio, migravit.

¶¶¶


Epid. lib. 6. sec. 8. tex. 47.

Satyrus in Thaso, cognomento vocatur Gripalopex, cum esset annorum circiter vigintiquinque, semen per somnum effudit saepe, & interdiu quoque saepe ipsi prodibat, cum autem ad annum trigesimum pervenisset, tabidus fiebat, & mortuus est.

¶¶¶


Hic homo laborasse videtur vera gonorrhæa spontanea, qua durante intabem dorsalem incidit, & exacto quinquennio mortuus est. Videant hinc in quem errorem incident, qui seminis excretionem nocturnam, homi-

mine dormiente , incidentem gonorrhæam benignam impropie appellant . Seminis effusio *Satyri* , si fieri posset , omni ope coercenda erat , seminis effusio Nicippi sinenda .




Epid. lib. 7. tex. 14.

Caupo qui peripneumonia tenebatur , alvus statim subiit . Circa quartam sudor multus . Videbatur soluta esse febris . Tussis nulla ut ita dicam . Quinta , & sexta , & septima detinebat febris . Sudor octava . Nona exereabat eb pallidum . Decima ibat acervatim , non saepe . Circa undecimam mitius habuit . Quatuordecima sanus evasit .



Hac historia usus sum in epistolis meis italico sermone exaratis , quas nuperrime typis evulgavi super constitutiones epidemicas Venetas annorum 1761. & 1762. eo fine , ut innuerem , peri-

peripneumoniam morbum diversum esse a pleuritide. Nam si pleuritis nullatenus per alvi fluxum recte solvi potest, quemadmodum in peripneumonia evenire præfata historia edocemur, certe pleuritis morbus cum peripneumonia nequaquam confundi potest. Illud vero habere debet alvi egestio, ut in peripneumonia prodesse possit, quod eger eat acervatim, non sæpe. Sic talis egestio quia copiosa, confusa, quia rara, recte fertur. Verum quidem est, ideo profuisse in memorato casu alvi fluxus, quod color in sputo pallidus, bilis indicaverit redundantiam.



Epid. lib. 7. tex. 26.


Theodori uxori in febre vehementi sanguinis eruptio facta est hyeme. Obortus est dolor maximus circa pectus, & fomento ad latus dextrum adbibito, remiserunt quidem dolores: Quarta die spiritus densior, arteria vix respirans, subsibilabat, & supina difficulter se movere poterat. Ad noctem febris auctior, & delirium breve fie-

fiebat. Sudor circa frontem primum diffun-
debat modicus, mox per totum corpus,
& pedes. Posthac autem videbatur ipsi fe-
bres remisisse. Erat autem ad manus cor-
pus arteriarum frigidius. Tussis non ade-
rat, nisi tertia, & quinta die exiguum
tempus. Sitis non inerat, spuitio aderat.
Exiliebat, vociferabatur, infaniebat, spi-
ritus multus, manus tremulae sub mortem
convulsa. Septima mortua est.

¶¶¶

Hæc mulier obiit pleuritico-pneu-
monica. Pulsus post quartam pigri,
inertes, veluti infebrientes. Conge-
labatur latus, & vasa circa ipsum.
Gangrænosa inflamatio, in qua tan-
dem ægri tranquilli fiunt, & moriun-
tur. Mors suavis ex latere sphacela-
to procedens. Hæc erat clamosa pleu-
ritis. Testor Deum in animam meam (scri-
psit Valescus de Taranta cap. prop. de
pleur.) omnes Pleuriticos clamantes, eju-
lantes, vociferantes, exilientes miserabili-
ter oppetiisse. Vox acuta plorantium
similis omnino exitialis, & spasmodi-
ca in acutis. Vociferari, ululare, eju-
la-

lare in posteram diem mortem significat, præsertim si contumax, & perenne silentium a principio in vociferationem inopinatam eruperit. Silentes, exclamantes in malignis veluti attoniti, & in iectu oculi rapiuntur.




Epid. lib. 7. tex. 79.

In olinbo Nicoxenus similiter die septima videbatur liberatus cum sudore. Sorbitiones accipiebat velut hortum ex Sole. Decimaseptima die accessi ad eum. Lingua urebatur, calor exterius non valde fortis. Exolutio corporis gravis, vox clangosa, ut laboriosum esset audire, clara tamen. Tempora collapsa, oculi cavi, pedes molles, & tepidi, secundum lienem distensio. Clysterem non admodum recipere poterat, sed resiliiebat. Ad noctem prodiit stercus compactum, & paucum, & aliquid sanguinis, arbitror a clystere. Urina pura, pellucida, decubitus supinus, crura diducta ob exolutionem, penitus vigil. Intra viginti dies calor est mitigatus, Potus qui ex farina,

sed

sed & qui ex pomis simul, & mali punici succus, & lentis coctæ frigidus, & farinæ lotura cocta frigida, tenuis sorbitio. Superstes mansit.



Discant ex hac historia *Tyrone's Medici*, faciem rubore obvelent *Pragmatici*, qui in curandis acutis venosis febribus, quas semper injuria malignas appellant, nulli remediorum suppellecili parcentes, cælum terræ miscet; misellos ægros occidunt, quibus opem ferre satagunt; morbumque quem auxerant perversa methodo, aut irritaverant, ut cum majore gloria sanarent, aut non potuerunt discutere, aut cum magno ægrorum damno vicerunt. His per jocum obtrudi possunt
ii versus *Guarini Poetæ Itali*:

*Io battezzo da maligno
Ogni mal, che non intendo;
La moneta intanto prendo,
E dapoi tra me sogghigno,
Che vi sia gente si pazza,
Che stipendj chi l'ammazza.*

F Hi-

Historiæ Hippocraticæ addenda sunt aurea Valesii verba , quæ sequuntur . Est tamen animadvertisendum et si plerumque ea febris ex sanguine crasso , & putrefacente maligne oriatur , non tamen semper . Sed ut alios morbos plerosque differentiam accipere ex materia , esseque aliquando febrem malignam vulgo nuncupatam biliosam , aliquando pituitosam , non nunquam etiam atrabiliariam , & curationem etiam ita variare . Huic enim non tam crassorum , quam acrum , & tenuium fuisse redundantiam , indicavit ustio , & pervigilium . Solent enim quibus admista pituita est , comate premi . Ob id contulerunt illæ potiones , quæ aliis essent adversissimæ . Fuisse autem buic adversissimum theriaca uti , aut decoctis ex herbis calidis , quantumvis essent alexipharmacæ , ut dictamni , scabiosæ , & cardui benedicti , quod aliis talium solet esse utile .

ꝝꝝꝝ

Epid. lib. 7. tex. 79.

Epicarmi Filio accidit ex itinere , &
potu cruditas . Sequenti die mane anxie-
ta-

tate facta, bibens aquam, acetum, & salem, vomuit pituitam. Postea vero rigor apprehendit. Lotus est febricitans, & doluit pectus. Tertia die statim mane sopor modicum tempus tenuit eum, & delirabat, & febris acuta. Graviter ferebat morbum. Quarta die insomnis. Mortuus est.

Epid. lib. 2. sect. 2. tex. 6.


Frater uxorius Aristai fatigatus itinere incalescet. Deinde in tibiis terebinthi fiebant. Deinde febris continua fiebat, & postridie sudor fiebat, & aliis etiam diebus paribus fiebat semper. Adbuc autem febris detinebat. Erat autem sublienosus. Fluebat sanguis ex sinistra nare, sape, & paulatim. Judicatus est. Postridie juxta aurem sinistram tumor. Postridie, & juxta dextram, minor autem hic, & incalescet. Hæc evanuerunt, & non sunt suppurata.

❧❧

Filii Epicarmi historiam in supplemento dissertationis meæ super constitutiones epidemicas Venetas annorum 1761. & 1762. ideo adduxi, ut balneum a cura morbillorum ejus constitutionis arcerem. Experientia monstrante morbillis tunc epidemicō modo grassantibus, ortum, atque incrementum præbuuisse putris cacochilia circa mesenterium, & jecur congesta; fætidis alvi egestionibus confertim erumpentibus ad sanitatem perduci potuisse; nec non authoritate fretus *Hippocratis*, *Galenī*, *Ballonii*, *Valesii*, omnia, & quæcumque medicamenta, præter alvum leniter ducentia, in eorum curatione placuit explodere. Alteram Fratris uxoris *Aristei* primæ maxime affinem nunc retuli, ut robur ei adderem, atque exemplo repetito firmarem, quæ in memorato supplemento legenda occurrunt. Videant *Tyroneſ Medici*, & *Seniores pragmatici* nuncupati quam male

male cedant in cacochymicis corporibus balneum, & exercitatio. *Epi-*
charmi Filius mortuus est, quod im-
puro adhuc corpore, atque in initio
febris putridæ cum cruditate se lave-
rit. Dolere enim (animadvertisente Va-
lesio) jam inde cæpit pectus, crudis suc-
cis, qui circa ventrem erant, in pectus
balneo effusis, & sursum euntibus; nam
in superiora abduc latis, die sequenti,
que erat morbi tertia, summo statim ma-
ne sopor eum apprebendit, qui modicum
duravit tempus, & jam inde delirabat,
& febris erat acuta, hoc est ardens pluri-
mum, computrescente jam cum crudis
bile, & in capite, & per totum corpus.
Quam etiam ob causam quarta die erat
insomnis, & ferebat graviter morbum,
hoc est, erat inquietus, & anxius, quod
malignitatis morbi, & debilitatis faculta-
tis est. Tandem cum hæc fierent, ac for-
tasse etiam alia plurima, mortuus est. Et
Frater uxoris Aristei cum cæpisset iter
agere plenus succis melancholicis,
neque redundantiam illam antequam
exerceretur, deponeret, in acutum
morbum incidit, tumoribus quibus-

dam nigris , cum pustulis figuram fructus terebinthi habentibus , per crura dispersis , quem sane evitasset , ni impurgatus exerceretur (*ulcera namque scriptum est in epid. 6. sect.* 7. *per corpus erumpunt , ubi quis impurgatus labori se dederit*) . Et Galenus quoque adnotavit , in exercitationibus calorem auctum ex profundo ad cutem succos evocare . Quando igitur prius in corpore vitiosa materia cumulata est , acrimonia cutem erodit , atque ulcera efficit : quemadmodum cum crassi , glutinosique humore sunt , hepar , renesque obstruunt , in cute autem affectus cum tumore excitant .



Epid. lib. 7. tex. 102.

Alicarnassensis , qui in domo Xanthippi diversabatur , aurem bieme dolebat , & caput non mediocriter . Erat vero annorum ferme quinquaginta quinque . Secta est illi vena secundum Mnesimachum . Læsum est caput , evacuatum , & refrigeratum (non enim

*enim suppurravit). Phreniticus factus est.
Mortuus est. Urinæ etiam huic densæ.*

§§§

**Quod evenit Polyphantō, & famulae
Evalcidæ phreniticis a morbo factis
circa urinas, idem & huic Alicar-
nassensi homini accidit. Cunctis his
urinæ fuerunt rubræ, perturbatae,
quales jumentorum, & densæ. Ne-
que mirum, cum in aphor. 70. sect.
4. scriptum sit: *quibus in febribus uri-*
næ perturbatae ut subjugalium, iis labores
capitis aut adsunt, aut aderunt. Cæte-
rum hic Alicarnassensis mortuus est
culpa medici venæ sectionem inop-
portune imperantis, & ideo cerebra-
lis vomicæ suppurationem prohiben-
tis. Neque verba illa, non enim sup-
purravit, scripta sunt per parenthe-
sin. Videtur, ait Valesius parergon,
non est tamen, si recte intelligatur,
sed perinde est, ac si diceret, non
enim erat phlegmonosa affectio, quæ
*dolorem afferebat, sed a frigida po-***

F 4 tius

tius pendens materia. Proinde a vena sectione evacuatum, & refrigeratum est caput. Recte autem dixit, non enim suppurravit, insinuans inflammationem earum partium, illa ætate, suppuratione potius, quam resolutione finiri consueisse. En quomodo morbi pro ratione ætatis curantur!

¶¶

Epid. lib. 7. tex. 107.

Eudemus splenem dolebat fortiter. Imperatum est a Medicis comedere multa, bibere paucum vinum tenue, deambulare multum. Non est facta ulla mutatio. Sed et a vena. Cibos, & potum parce, deambulationem paulatim intendebat. Vimum nigrum tenue. Sanitati restitutus est.

¶¶

Occulta lienis inflammatio sanguinis missione curata. Errabant Medici, quod venam non secuerint, quod mul-

multum cibum exhibuerint ; plurimum , atque repente deambulare jussent . Immo quæ chronico splenis morbo convenienter , ea in acuto præcipierent .

¶¶¶

Epid. lib. 7. tex. 109.

Eunuchus ex venatione & discursu hydropicus factus est . Hic ad sex annos habuit ex equitatione malum , & bubonem ile , & dolores circa genitalia . Hic secundum inanes partes tabefactus , septem diebus periit .

¶¶¶

Ars venatoria propria non est *Eunuchorum* , & *Spadonum* , sed eorum dumtaxat , qui sint

..... *Duro de robore nati .*

Nil ergo mirum si *Eunuchus* hic nimio exercitio maceratus , præ solidorum

rum debilitate, atque languore prius
in cachexiam, mox vero in perfe-
ctum hydropeum inciderit. Ab exer-
citio igitur arcendi sunt cacochymi-
ci, & debiles, neque prius com-
mittendi, quam purgati, atque re-
sumpti.

F I N I S.

ER-

ERRATA.

CORRIGE.

| | | | | |
|-------|----|--------|------------------|------------------|
| Pag. | 3 | lin. 8 | Præcatur | Precatur |
| | 10 | 6 | recescentia | recalescentia |
| ibid. | 22 | | quisquilius | quisquilias |
| | 11 | 6 | morebantur | monebantur |
| | 12 | 6 | intra | intra se |
| ibid. | 9 | | videbantur | videbatur |
| | 15 | 21 | persuadeant | persuadent |
| | 17 | 12 | extiteris | extiterit |
| | 20 | 17 | fonto | fonte |
| | 23 | 1 | Fabritium | Fabritio |
| ibid. | 6 | | Gallis | Galliis |
| | 26 | 1 | forse | forte |
| | 32 | 15 | incontinentia | incontinentiam |
| ibid. | 15 | | stuporque | stuporemque |
| ibid. | 16 | | oborti | obortos |
| ibid. | 17 | | morbi | morbi soboles |
| | 36 | 13 | tursim | tussim |
| ibid. | 23 | | remisserunt | remiserunt |
| | 38 | 7 | secebant | secabant |
| ibid. | 30 | | exquisite | exquisite |
| | 43 | 12 | recensentur | recensentur |
| | 53 | 10 | Ea | Ex |
| | 54 | 10 | petuisset | potuisset |
| | 56 | 14 | Huic | Hic |
| | 61 | 5 | mitus | mitius |
| | 62 | 1 | mortus | mortuus |
| ibid. | 15 | | cruori | cruoris |
| ibid. | 23 | | melancholicisque | melancholicisque |
| | 66 | 24 | fellere | fallere |
| | 67 | 1 | aperire | aperire |
| | 69 | 15 | credente | erodente |
| ibid. | 16 | | episthotono | opisthotono |
| | 70 | 8 | agrum | ægrum |
| | 71 | 6 | curibus | cruribus |
| | 77 | 1 | incidentem | supervenientem |
| ibid. | 12 | | exereabat | excreabat |
| ibid. | 12 | | eb pallidum | subpallidum |
| | 78 | 10 | ege | æger |

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di Revisione,
& approvazione del P. F. Filippo Rosa Lanzi
Inquisitor Generale del Santo Ufficio di Ve-
nezia nel Libro intitolato manoscritto *Anto-
nii Lizzari D. M. Animadversiones ad non-
nulla Hippocratis loca &c.* non v'esser cosa alcu-
na contro la Santa Fede Cattolica, e pari-
mente per Attestato del Segretario nostro,
niente contro Principi, & buoni costumi
concediamo Licenza ad *Antonio Zatta Stam-
pator* di Venezia che possi essere stampato,
osservando gli ordini in materia di stampe,
& presentando le solite Copie alle pubbliche
Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Agosto 1763.

(Sebastian Zustinian Ref.

(

(Alvise Vallaresco Ref.

Registrato in Libro a Carta 179. al Num. 985.

Davidde Marchesini Seg.

1763. 2. Agosto Reg.

Francesco Gadaldini Seg.

1. 10. 2. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

32. 33. 34. 35. 36. 37. 38.
39. 40. 41. 42. 43. 44. 45.
46. 47. 48. 49. 50. 51. 52.
53. 54. 55. 56. 57. 58. 59.

60. 61. 62. 63. 64. 65. 66.

67. 68. 69. 70. 71. 72. 73.

74. 75. 76. 77. 78. 79. 80.

Review

of

the

book


of

the

year

1961.

12



PP 7a6s

all

